



Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 8. [i.e. 9.] Quam seriam solicitudinem, in exequendis mandatis suis,
Deus exigat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

tonius, cum suis, latebat, in abditissimo
montis loco; quem ipsum, ne dum ipsos, præ-
ter ipsos nemo nouerat. Quare neque ex-
perti, neque qui senectâ erant ætate, con-
silium viæ exigenti potuerunt respondere.
Et tamen (ô Iudicia Dei !) nondum satis e-
git, qui consilium non inuenientibus, aut
in longum differentibus, sat se egisse arbi-
trabatur. Quis non putaret, talem excusa-
tum? quis non somnium inane fuisse, inter-
pretaretur? Nesciebat locum, non noue-
rat homines; post accuratam inquisitionem,
ne diuinare quidem potuit, vbi inueniren-
tur. Et facile fortasse etiam erat diuiti, ven-
tis tradere mandatum liberalitatis.

§. IX.

*Quam seriam solicitudinem, in exequendis
mandatis suis, Deus exigat?*

Itaque curâ eleemosynæ largiendæ omni
seposita; securus sui, nocte altera quieuit.
Sed non quieuit Deus, qui sæpe angustijs pla-
gisq; homines adigit ad bene agendum. Ad-
est ergo iterum Angelus, nec iam mitibus
atque amicis, sed sœuis, indignantibus &
minantibus verbis vrget torpenter ad seri-
am mandati executionē; ac, ne denuò som-
nium esse existimet, addit verbis acribus gra-
uia

uia verbera, & istibus confirmat sermonem.
Tum verò ille se è plumis actutum proripit,
rursusque, & familia omni, & vicinis vn-
dique citatis, consilium non iam rogat, sed
flagitat, iubetque, per alios quoscunque,
sedulò inquiri in habitationem Eremitarū,
si ipsi nesciant. Verbis vim lachrymæ addi-
derunt; lachrymas autem non de nihilo ca-
dere, ostendebant nondum obductæ cicatri-
ces, ab Angelo percutiente, relictæ. Mul-
tum agitata est quæstio. Nescientibus cun-
ctis, nec viam consulendi intuerentibus, v-
nus diuina luce persuasus in hæc verba est lo-
cutus. Etsi mihi & viri illi, & eorum sedes
incognita est, fortasse tamen consilium sug-
geram haud insalubre. Sunt tibi cameli se-
ptuaginta: his onera impone, & quicquid
ad vitam seruorum Dei sustentandam neces-
sarium est, è clitellis suspende: tum id faci-
to, quod olim Philisthæi, iuxta consilium
seruorum Sacerdotum; nam tollentes duas vac-
cas, que lactabant vitulos iunxerunt ad plan-
strum, vitulosq; earum concluserunt domi. Et
posuerunt arcam Dei super plaustrum, & cap-
sellam, que habebat mures aureos, & similitu-
dines anorum. Ibant autem in directum vac-
ce, per viam, que dicit Bethfames, & itine-

1. Reg. 6:
10,

F 2. re uno

re uno gradiebantur , pergentes , & mugientes :
 & non declinabant neq; ad dexteram , neq; ad si-
 nistram . Pari pacto tu cibarijs camelos one-
 ra , solosque , & duce destitutos , viæ com-
 mitte . Quod si diuina hæc est voluntas , vt
 tuis opibus Ascetæ isti alantur , camelos tibi
 incolumes , eodem numero , remittet . Sin ab
 Orco tibi horum animalium iactura immi-
 net , satius est iumenta perdere , quam vi-
 tam . Qui enim te flagellauit , vt moneret
 duntaxat ; vt puniat , penitus occidet . Dixit ,
 & persuasit . Nec opulento tantum illi , sed
 omnibus pariter , qui aderant , sententia pro-
 bata est .

§. X.

*Camelorum , in summa inedia , absq; duce ,
 commeatum Dei seruis portanti-
 um prodigiosum iter .*

Nullâ morâ interposita , educuntur è sta-
 bulis septuaginta camelii clitellati , horum
 quinque fæno & auenâ in dorsum alligatâ ,
 ceteris sexaginta quinque humanus varij ge-
 neris cibus est superiniectus ; ita non solum
 Dei seruis , sed ipsis etiam bestijs , qui illis
 seruierant , esca est suppeditata . Sic instru-
 ctos septuaginta camelos , atque in via con-
 stitutos , non sine singulu fletu quec , cœlesti
 custo-